Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 487
Quelle:
Copyright:

ματα Editionis tollenda foret utile. Ita in calce pro *vertatur præsumptio* pone *vereatur*. Adjacet clausula: *Explicit expositio magistri Hugonis et prepositi* (quem fuisse negant) *sancti Victoris super primum librum Yerarchiarum. Finitus Anno gratie M°. CCC°. 43°. feria 2. Ante nativitatem domini.*

CCLXXIII.

R. 84 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 238. 4. maj. probe scriptus, sed multis locis refectus, notis marginalibus adspersus, et quondam *Conventus O. E. S. Aug.* dicti *S. Johannis de Carbonaria Neapoli*, ad quem devenerat ab *Ant. Seripando* fratre *Hieronymi* Card. ex eodem Ordine Viri celebris herede Bibliothecae *Auli Jani Parrhasii* (Joh. Pauli Parisii) *Consentini*, complectitur *Q. Sept. Florentis Tertulliani Carthag.* a. Chr. 220. aut circiter vivis exemti Scripta, quae indicabimus. Initium facit *De Jona propheta carmen heroicum*, ad cujus calcem legas: *Finis versuum* (105) *Tertulliani de Jona, quos ego Janus parrhasius ex antiquissimo codice longobardis exarato literis exscripsi: quam maxime licuit ex fide.* Itaque hi, et quod mox sequetur, tardius *Codici* praefixa sunt; obiit enim *Parrhasius* Philologus egregius, de quo consulendi *J. Nicius Erythr. Toppius* cum *Nicodemo*, *Baelius* &c. a. 1533. Objacet jam mihi Carmen istud *de Jona* in Edit. *Opp. Tertulliani Rigaltiana Venet.* 1744. p. 576. f. prolatum ex unico *P. Pithoei* Codice c. notis *Fr. Jureti*. Quantum vero e *Parrhasiano* nostro perfici possit, specimine ostendam:

	Editio	Codex
V. 4.	*facti mortem maris*	*tacti mortem maris.*
7.	*justique fines*	*justique viam.*
13.	*angusta mente*	*augusta mente.*
16.	*et debita cedere poenae*	*et dicta cedere poena.*
24.	*Urbs ora est — Joppen*	*Urbs oras — Joppe.*
25.	*Rate scandit*	*Rate poscit.*
26.	*fert acta Deus*	*Per signa Dei.*
30.	*globus pariter*	*globum pariens.*
34.	*Nequicquam medios*	*Nec quicquam medium est.*
39.	*concussa est spina carinae, Palpitat antenna stridens* &c.	*Concussae spina carinae Palpitat. Antennae stridens* &c.

Sed satis pro instituto meo, qui non nisi indicem ago. Unum tamen silentio praeterire nequeo, non vidisse *Juretum* medelam ultimis a fine versibus adponendam; ita enim Edita:

Inter